



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1655

§. 225. Quidam autem illic stantes & audientes dicebant: Eliam vocat iste.
v. 47.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

animarum & eius gloriā spectaret, eriperet eum & glorificaret. Hoc SS. inculcant, dicentes: *Christus passus est pro nobis vobis relinquens exemplum vt sequamini vestigia eius, qui peccatum non fecit nec inuentus est dolus in ore eius*, quantum enim miserabiliter tractus est à ludæis! quam dire flagellatus, coronatus, deangustatus, clavis cruci affixus, pendens eum cruce proiectus ad fossam crucis præparatam, ita vt omnia membra & vulnera conquaterentur, & renouarentur, quasi vltimam sanguinis guttam elicerent, & tunc quid aliud auditum ab ipso, filio Dei, homine passibili, & passio? aliud nil quam *Deus meus Deus meus* quasi diceret, etiam si iam omnia tormenta, Martyria, pœnæ conspirarint in me, non tamen desperabo, sed clamabo ad te Deus meus, qui neminem desolatam relinquis, teste te ipso mi pater, qui dixisti, *qui sperauit in me & confusus est?*

Hæc verba testamenti Christi Domini nobis esse deberent ut signaculum super cor, in vita & in morte, vt cum persecutionem patimur ab homine, mundo, carne, diabolo, aliud ex ore nil procedat quam eleuata mente ad Deum dicere: *Deus meus, Deus meus.*

§. 225. Quidam autem illic stantes & audientes dicebant: *Eliam vocat iste.* v. 47

Vide anima mea, etiam Deum suum, sine noua contumelia, non potest inuocare Dominus tuus. nam aliqui astantium non intelligentes verbum hoc Hebraicum *Eli Eli Lamma Sabacthani*. Vel probè intelligentes sed ex nequitia volentes pietatem conuertere in risum, confinxerunt scandalum & iocabantur in verbo Eli, quasi Christus non Deum, non Abraham, Isaac vel Iacob defunctos in Dei gratia, & à ludæis inuocari assuetos, sed adhuc viuentem Eliam inuocaret, arguentes: si Eliam prophetam virum sanctum & miraculis plenum vocat iste in subsidium, profecto seipsum per se non potest inuare, & per consequens Dei filius non est, nec verus Messias, sed deceptor & Dei inimicus, imo impius, qui & Deum & sanctos aspernatus unà solos homines viuos in auxilium suum conatur euocare. Vide igitur hic ingenium reproborum, qui quæ audiunt bona & salutaria, ipsi in reprobum trahunt sensum & risum & casta detorquent in sensus luxuriosos, dixerat enim Christus, *Eli Eli lamma Sabacthani, id est Deus meus, Deus meus vt quid dereliquisti me*: & ecce isti scurræ, Eliam confingunt: Ita verba salutis, quæ seria sunt bonis, reprobis sunt ludus & iocus. Sed quanto his deterior Caluinus Heresiarcha nostri temporis, qui impijssimè blasphematur quasi, in hoc verbo, Christus desperarit. O linguam nequam, linguam præcidendam & non amplius cauterio dignam, linguam minutatim scindendam, & extra mundum in nihilum proijciendam, vti linguam Nicanoris

2. Mach. 15.

2. Mach. 15. proiecram legimus. At quomodo impie crudelis scelestæ Hæresiarcha desperare potuit Christus, qui *non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo*? Quomodo desperare potuit qui re ipsa beatus semper erat? quomodo desperavit qui dixit, *Deus meus, Deus meus*? non sunt hæc verba desperantis, sed in Deo confidentis, verba amantis. Verba sunt Prophetica psal. 21. (qui totus de passione Domini præ omnibus disertissimè loquitur) in Christo tunc impleta, ita ut Christus tam ex Davidis patris sui ore loqueretur, quam olim David ex ore filij sui futuri. ait enim; *Deus meus, Deus meus ut quid dereliquisti me.* tanquam si ipsi suæ naturæ diuinæ, cum qua in unâ subsistebat persona, suum ipsæmet diuinum stupens amorem, qui adeo humanam naturam deiecerat, attriuerat, submiseratque, quique fert opem omnibus, ipsum se usque adeo reliquerat, pœnis omnibus totum exposuerat, solius ductu Amoris. O sapientia patris quæ ex ore altissimi prodijsti, attingens à fine usque ad finem fortiter & disponens omnia suauiter, quantum contemneris! ut etiam post mille quingentos annos, iste stigmaticus hæresiarcha te affligat, saltē conatu suo. quidquid enim prudenter dicis & sancte operaris, id respuitur, illuditurque tanquam vanum, & reprehensibile accipitur à ludæis & Phariseis & scribis, legum doctoribus. Quid mirū? quia odio habet te gratis, ideoque & verba tua sanctissima & doctrinā. Sicut enim exaltantur cœli à terra, ita schola tua Domine à scholis filiorum hominum: sic sapientia tua, à mundi prudentia. Discunt homines avidissime secreta naturalia, & causas & effectus & mutationes elementorum, & considerant motus siderum, testimonium perhibente ipsis conscientia ipsorum, quod non satis intelligant illa, quorum doctores & magistri esse volunt. Ipsi enim qui inter ipsos doctiores sunt, postquam ad fastigium scholæ tuæ peruenierunt, confitentur, se nihil perfecte sciuisse, quanto igitur magis in diuinis sine te, sine ecclesia tua caligauerunt?

TU vero Domine, cui *omne cor patet & omnes voluntas* sine verbis loquitur, sine perplexitatibus & erroribus doces mansuetos & humiles discipulos tuos altissimam sapientiā, quæ simul illuminat & inflammat: obsecro doce me voluntatem tuam, quæ est vere sapientia, ut à spiritu tuo deductus nunquam aliter interpreter sacram Scripturam, quam quo sensu accepit ab Apostolis & seruauit huc usque Sancta Mater Ecclesia, quæ à spiritu tuo regitur & sanctificatur, nihil mihi sit cum impijs, verba tua, quæ verba vitæ sunt, ipsam S. Scripturam ludibrio habentibus, hodie coram te illos damno & anathematizo, ac verbis tuis & præceptis constanter adhæreo, ut aliquando perueniam quo ducunt verba tua & præcepta, ad eam ciuitatem, ubi est dies æternus & vnus omnium, non priuatus spiritus singulorum.